



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. 1. Quid in desponsationibus operetur vis, seu coactio absoluta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

ARTICULUS III.

De libertate ad valorem matrimonii necessaria.

Non est dubium, non tantum ad Sponsalia de presenti, sed etiam de futuro, requiritur libertatem, seu voluntarium simpliciter (saltem quoad substantiam consensus) quo Sponsalia confurgant. An autem ad hoc sufficiat solum voluntarium simpliciter, an etiam requiratur libertas, immunis ab errore, coactione, vi, & metu, vel raptu? dubitatio est. De singulis igitur dicemus breviter, quaestione circa errorem, remissa ad Tit. 9. de conjugio servorum.

S. 1.

Quid in desponsationibus operetur vis, seu coactio absoluta?

389. Pro resolut. not. ex Pereyra in *Elucidario l. 1. elucidatione 3. f. 2. n. 54.* verbum cogere in iure communiter usurpari pro compellere. Unde Sylvester V. *Coactio* duplicem distinguit Coactionem; unam absolutam (& dicitur *praecisa*) cui quis resistere non potest; ut, cum quis violenter, & cum impetu in eum facta, trahitur ad aliquid faciendum v. g. ad sacrificandum idolo: alteram *conditionalem*, qua quis compellitur unum e duobus eligere; v. g. *vel subire mortem, vel negare fidem Christi.* Eodem modo *vis* duplex est, absoluta scilicet, & *conditionalis*, quamvis non semper per vim compulsio fiat, impetu in eum, qui compellitur, facta; sed solo metu mali, certo, vel probabiliter impendentis incusso, ut compulsus praestet, quod petitur, si malum ceteroquin impendens velit evadere.

390. Supp. autem per *vim*, seu *coactionem* conditionalem, atque adeo per *metum*, etiam injuste incissum (ut si quis, vel mori, vel Idolis sacrificare compellitur) non tolli voluntarium simpliciter, adeoque nec culpam contra legem naturalem, vel divinam, ut pat. ex c. *Presbyter 32. dist. 50.* juncta gloss. V. *Presbyter*, ubi Presbyteri, vel Diaconi, qui taliter coacti immolaverunt Idolis, cessare jubentur ab omni sacro ministerio, licet eis (post poenitentiam) honorem sedis propriae retinere

concedatur; secus est de vi, & coactione absoluta, seu violenta, cui scilicet resistere non poterant. Nam de his ibid. §. *Qui autem fugientes;* junct. gloss. V. *eod.* expressè dicitur, *eos, si, taliter coacti demonibus immolarunt, non peccasse, & nullo modo puniendos esse.* Idem habetur in C. *contra Christianos, de Hæret. in 6.* ubi Bonifacius VIII. Episcopo quaerenti, an contra Judæum (qui post susceptum baptismum ad ritum Judæorum rediit negato Christo) procedere possit, tanquam contra hæreticum, licet alleget, se *coactè* baptizatum esse? respondit, posse, licet baptismum suscepit, *coactus*, mortis metu (seu ut loquitur glossa ibid. V. *contra*, licet coactio fuerit *conditionalis*) secus; si fuit *coactus absolute*, seu præcisè, quia tunc baptismum non recepit; ad quod in adulto recipiente baptismum, requiritur voluntarium; quod vi absoluta, non conditionali tolli, Innocentius resolvit; his præmissis:

Resp. Sponsalia non tantum de præ- 391. senti, sed etiam de futuro, contracta per vim absolutam, esse iure naturali nulla, & irrita. Nam sine consensu libero, seu voluntario simpliciter, omni iure sunt nulla; sed quando contrahuntur per vim absolutam, deficit consensus liber seu voluntarium simpliciter ex n. 390. ergo. Et hoc procedit undecumque jus illa proveniat; sive ab ipso contrahente altero, aut ab alio tertio, sive directè ad extorquendum consensum, sive ob alium finem; quia stante tali vi, undecumque proveniat, voluntarium simpliciter non habet locum. Ex quo sequitur, vim, & coactionem absolutam esse impedimentum iure naturali dirimens, non tantum Sponsalia de futuro, sed etiam de presenti; cum eà stante deficiat voluntarium simpliciter, sine quo nec Sponsalia de futuro, nec de presenti consistere possunt.

S. 2.

Quid in desponsationibus operetur coactio conditionalis, seu metus?

Pro resolut. not. coactionem conditionalem, seu metum supponere posse, vel pro actu intellectus, vel pro actu voluntatis;